



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. II. Metu, ac mortis periculo praegnans mulier, maris fluctib.
iactata, liberatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

nus sibi delegerat, de consilij sui ratione pontificem certiore fecit. Tibi, inquit, optime pastor apud Deum ratio reddenda erit, si pluris imperatorem, quam Deum faciens, me sacra uitta exornare distuleris, quae Deo futurae uitae meae castitatem sacraui. eius uoluntati morem gerere nil moratus est pontifex.

MIRAC. VIRG. II.

Metu, ac mortis periculo praegnans mulier, maris fluctibus iactata, liberatur.

D Michaeli maximum templum extructum erat, in loco, qui uasto, apertoq. Oceano circundabatur. iccirco eius adeundi, ob ingentibus maris aestus, maxima erat difficultas. Sed bis quotidie aestus minuebatur; ita ut, qui illac transibant, per siccum littus, eo tempore iter haberent. Quia autem saepe maximo impetu illic se praeruptum mare incitat; uiatores incautos quandoque deprehendere consuevit. Fortè D. Michaelis festus dies celebrabatur, quo illuc multi concurrebant; inter quos grauida mulier, & partui proxima erat. Cùm iam in media illa arena essent, repente iratum mare coepit fluctuare; & cùm ceteri omnes effugissent, sola ibi mulier relicta est. Qui è mortis periculo euaserant, eam illic uersantem intuebantur; eiusque miseratione adducebantur, quae pallida ad coelum manus tollens, Virginis, Michaelisque auxilium implorabat. Illi in mortis metu uersanti regina coeli è coelo dilapsa obuiam se

se dedit; atq. in mediis undis, propriis uestib. ita mulierem texit, ut nullibi eam uuidam diceres. Quare non solum tutò in ipsis fluctib. filium peperit; sed etiã usq. ad maris decessum ibidem morata est; quae postea in sinu illic editum infantem gestans, in sudum rediit: & quae sola à turbida tempestate intercepta fuerat, una cum filiolo, candida, & lucida maris stella ducente, fluctus deuittauit.

MIRAC. VIRG. III.

Militis uxor insania, ac furore percita; reuocatur à Dei parente ad mentis sanitatem.

Militis uxor praegnans, quae noctu uiderat in somnis militare signum sanguine cruentatum, somno soluta insanire, & cum marito deliramenta loqui coepit, quae audiens ille obstupescibat. Misera igitur eò dementiae adacta erat, ut uidere uideretur christianam religionem, quae illucisq. sibi inter ubera uersata fuerat, illinc discedentem. Sic. n. infelix à Satana decipiebatur, qui eius animam in eam calamitatem trahere conabatur, in quam ipse incidit. amici aegrè mulieris infortunium ferentes, pro ea innumerabilia uota suscipiunt; eamq. in infinita beatorum templa perducunt, ut illorum precib. à Deo miserae sana mens impetraretur. Praeter cetera totam noctem excubias in Trinitatis templo celebrant. Sed nec eo tempore Deus opt. max. uoluit, ut uoti sui compotes fierent; quia decreuerat, ut eius salutis gloria Virgini seruarietur, quia uero
caco-